ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Ex quo ad Dominum nudius tertius scripseram, renunciatum mihi fuit
Dominum Kuetum inaudivisse ista omnia quæ negotium nostrum
concernunt: idcirco dedi operam ut illum convenirem (cum à tanto
viro, doctissimo certe et ornatissimo nihil præter læta et fausta
omnia expectare quispiam posset) misique puerum ad suas ædes qui
intelligeret an esset intus, et vacaret, qui accersito ad se puero
dicebat se, a me in hoc officio præventum, ut potè qui statuebat
eadem hora me invisisse, quod etiam fecisset, nisi ego præsto
adfuissem: Cum quo post breve colloquium, de ærumnosa Chris-
tianorum in terris peregrinatione: humanissime seriam suam
operam negotio (quod cupit Dominus) promovendo se impensurum
promittebat, et alloquuturum consules Leydenses apud quos, au-
toritate, ad fidem faciendam, et persuadendum pollet: (etsi spero
unum tuum verbum ad eam rem gravius fore) Dicebat se etiam ven-
turum ad Dominationem tuam (quod spero hodie facturum) Cui si
impertiveris hæc omnia ab ipso serenissimo principe et à te profecisse
sentire ipsa sunt profecta et primum proposita mihi vix cogitanti
Confido fidelem navaturum operam Dominum Rivetum ut ipsi
Principi et tibi etiam in hoc negotio promovendo inserviat.
Vale amplissime domine et quod cœpisti opus bono cum Deo
et idem feliciter perficias. Cum opt. Deo. tuæ dominationi commendo

[illegible] officii, qui tibi est addictiss.

Archibaldus [illegible]

hæc ita raptim scripta ut vix putem
Dominum [illegible] meum [illegible] lecturum
de quo me Dominus excusatum habebit.

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Hamilton) 3
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3218a

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Hamilton) 3
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3218a